

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Rector Academiae Lipsiensis Festum Spiritus Sancti A.
MDCCVIII In Æde Sacra D. Pauli Ritu Solenni Celebrandum
Intimat**

Fleischer, Christoph

[Leipzig], [1708?]

VD18 13541358

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)



Ti nobis natus (a) passus & mortuus est C H R I S T U S; ita & nobis resurrexit, inque cœlum adscendit, non tantum ut pro nobis oraret in cœlis, id agendo, ut virtus omnis ac valor satisfactionis suæ nobis imputaretur (b); nec tantum ut locum, suæ nobis passionis ac mortis merito adquisitum, nostro quasi loco ac nomine possessum in secessum que iret (c); sed maxime, ut sua in deinceps nos dona profunderet (d). Arca foederis in sedem suam introducta, impertitus est David Rex toti multitudini Israëlitarum, tam viris quam foeminis, placentam panis, & frustum carnis, & lagenam vini (e); Sed longe potiora a Christo, in cœlum suscepso, exspectanda fuere: non panis, aut caro, aut vinum, corpori solum sustentando idonea; sed vis vivifica suæ carnis nuper D E O Patri oblate, & frumentum illud cœlestis, quod Juvenes, & musum mysticum, quod Virgines spirituales progignit (f). Ipse C H R I S T U S, ut precursor noster, ad interiora velaminis pro nobis ingressus (g), & oleo latitiae nunc supra consortes uberrime delibutus, non guttulas ejus aliquot in suos destillat, sed pleno eos imbre prolixit (h). Non, ut seculi hujus Reges argenteos fortasse vel aureos aliquot nummos, coronationis festo die, in populum projiciunt, quos pauci & audacissimi plerumque sibi rapiunt; ita & suos minutis quibusdam ac veluti crepundiis contentos esse jubet, sed ea omnibus largitur, quæ non insigni auro *Ophirio*, aut *Sardio* precioso, aut *Sapphoro*, aut nitidissima gemma, aut *Topazio* Äthiopico æstimari queant (i): dona nimurum S A C R O - S A N C T I sui S P I R I T V S, qui est *Spiritus sapientie & intelligentie, Spiritus consilii & potentie, Spiritus scientie & reverentie Jehove* (k). Quæ dona supracœlestia, ut eo rectius æstimare discamus, & in primis mysticæ illius ac salutaris sapientie, quæ nos Christianos facit, compotes evadamus, totam doctrinam de S P I R I T V S S A N C T O, ex Sacris literis, quas *Spiritus hujus* beneficio habemus, & sine quarum lumine nec ipsum rite cognoscimus, nec pie agnoscimus, hac solenni Festivitate, strictim repetemus. Ac primo quidem supervacaneum fuerit, de *Existencia* Spiritus Sancti probanda multum laborare. Discipulorum enim istorum *Ephesiorum*, dicentium, se ne quidem audivisse, an existere *Spiritus Sanctus* (l), tam dūrum pronunciatum non ita intelligendum, ac si nunquam audiverint quicquam de *Spiritu DEI* (erant enim jam baptisati baptismate Johannis) sed de *communicatione & acceptance* Spiritus Sancti, quam unice Apostoli intendebant. Quomodo etiam istud, quod alibi legimus:

(a) *Esa. IX, 6.* (b) *i. Joh. II, 1, 2.* (c) *Joh. XIV, 2.* (d) *Psal. LXIX, 19.* *Eph. IV, 8.*
(e) *2 Sam. VI, 19.* (f) *Zach. IX, 17.* (g) *Heb. VI, 20.* (h) *Joel. II, 21.* *Esa. XLIV, 3.*
(i) *Job. XXIX, 15-19.* (k) *Esa. XI, 2.* (l) *Actot. XIX, 22.*

gimus: nondum erat *Spiritus Sanctus* (m) non de *existentia*, sed de *large* *Spiritus Sancti effusione* accipendum est. Quæcunque enim *Spiritus Sancti* concipiatur natura, non putandum est, Apostolos negasse existentiam ejus ante Christi glorificationem, cuius apparitio tam manifesta fuerat in ejus baptismatione *sub specie columba* (n). *Sadduceos* autem ex eo, quod dixerint, non esse Resurrectionem, nec Angelum, nec *SPIRITVM*, (o) existentiam *Spiritus Sancti* negasse, quæ fuit sententia Epiphanii (p), non magis credendum, quam quod ex his verbis probari potest, eos inficiatos fuisse existentiam ipsius T.E.I., qui sane *Spiritus* est. *Resurrecio* nempe, *Angeli & Spiritus*, quæ ne-
gabant *Sadducæi*, duæ tantum res erant. Expresse enī subjicitur: *Phari-*
seos confiteri utrumque, quorum alterum erat *Resurrecio*, alterum *Angeli &*
Spiritus, i. e. *Animæ* *humanae*. Hoc igitur, quod *Sadducæi* confiteri recu-
fabant, erat existentia *Naturarum ejusmodi Spiritualium finitarum & crea-*
tarum, non *Spiritus illius infiniti, & increati*, qualis est *Spiritus Sanctus* (q).
Quis ergo sit *Spiritus Sanctus*, Dator ille donorum supracœlestium, ratione
tum *Nature*, tum *Officii sui*, præprimis inquisitione nostra dignum est. Prius
insinuat vocabulum *SPIRITVS*; posterius elogium *SANCTI*. *Na-*
turam Ejus quod attinet, Beatus ille *SPIRITVS* non est *etereus* vel
operatio, non qualitas vel virtus quædam; sed *spiritualis atque intellectua-*
lis Subsistens. Valde enim absurdi nobis videntur illi (r), qui tanto nisi
demonstrare conantur, *Spiritus Sanctum*, in cuius æque ac Patris & Filii no-
mine baptizantur (s), & a quo sanctificari se credunt, non esse personam, sive
subsistentiam intellectualem, cum certi esse nequeant, ullam aliam rem esse
activam, præter substantias, ac proinde nisi per substantiam aliquam in Ba-
ptismate sanctificantur, nullius prorsus *Sanctitatis* erunt participes. Quod
vel solum argumentum posset sufficere ad deterrendum nos ab audacia illa
asserendi, *Spiritus Sanctum*, in cuius nomine baptisati sanctificamur, nihil
aliud esse præter *virtutem aut qualitatem*. Sed missis conjecturis, in Verbo
Dei scripto nonnulla de *Spiritu Sancto* dici observamus, quæ proprie ac pec-
uliariter ad Personam pertinent. Bonus enim hic Dei *Spiritus* manifeste
opponitur malis istis spiritibus in Historia Saulis (t): *Spiritus Domini*, inquit
Samuel, recessit a Saule, & exagitabat eum *spiritus nequam a Domino*. Hos au-
tem personas esse spiritualis subsistentiæ, nemo diffitebitur (u). Sic nos porro
Apostolus hortatur: *nolite contristari Spiritum Dei* (x). Contristatio vero
personalis utique affectio est, cuius incapax est qualitas. Docemur præterea,
Spiritum illum postulare pro nobis gemitis imenarrabilibus (y). Jam fatis capi-

)(2

mus.

(m) Joh. VII, 39. (n) Matth. III, 16. (o) Actor. XXIII, 8. (p) Hæres. XIV. (q) Psal. CXXXIX, 7, 10. (r) Eniedinus Expl. LL f. 288. Schlichtingius c. Meissner. de Tri-
nit. f. 661. Crellius Lib. de Deo & Attrib. c. XXII, f. 158. Oftorodus P.II. contra Træ-
del. c. XII, f. 200. seqq. (s) Matth. XXIX, 19. (t) 2 Sam. XVI, 14. (u) Conf. 8
Chron. XII, 26, 21. (x) Eph. IV, 30. (y) Rom. II, 26.

mus, quid sint personæ postulantes, at vix capere possumus, quid sint generies
sive postulantes qualitates. Adhac Spiritus ille scrutatur omnia, etiam *Id
est Deum est*, atque ita omnia scit, que Dei sunt (z). Quomodo *est Deus* Dei
describi nequit. *Ipsæ omnia operatur, dona spiritualia dividens singulis, prout vult,*
(a) ubi & operatio & discretio & distributio, eaque omnes liberae, sufficien-
tes sunt personæ demonstratiōes, utpote quæ in *est Deus* seu qualitatē
non cadunt. Ipse quoque voluntatem Dei revelat, & ad homines loquitur
more persona. Petro enim dixit Spiritus iste: *Ecce viri tres querunt te:
Surge ita quoque & descendit a vade cum iis, nihil dubitans, quia misi illos* (b). Dixi-
xit etiam ad Prophetas & Doctores Antiochenos: *Segregate mihi Paulum
& Barnabam in opus, ad quod vocavi ipsos* (c). Denique haut rectius intelli-
gere possumus Spiritus Sancti naturam, quam ex descriptione a Christo
ipsum mittente data (d): *Paracletus Spiritus Sanctus*, ait ille ad discipulos,
quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggesteret vobis
omnia, quaecunque dixerò vobis. Et paulo post: *Ille testimonium perhibebit de
me, & vos testimonium perhibebitis.* Item: *Si non abiero, Paracletus ad vos non
veniet; si autem abiero, mittam eum ad vos, & cum venerit ille, arguet mun-
dam de peccato &c.* Imo ducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur a
semetipso, sed quaecunque audierit loquetur, & quæ ventura sunt, annunciat vobis:
ille me clarificabit, quia de meo accipiet, ac annunciat vobis. Quæ verba
omnia nil aliud sunt, quam totidem descriptiones Personæ alicujus audientis,
accipientis, testantis, loquentis, arguentis, docentis. Neque tamen Spiritus
Sanctus est persona creata, quæ Arianorum ac Macedonianorum, nostro tem-
pore repullulascens, fuit heres (e). Spiritus enim Dei, qui est in Deo, non est
persona creata, cum id creata persona esse nequeat, quod naturam creatam
non habet. Jam Spiritus Sanctus est Spiritus Dei, qui est in Deo. *Quis enim
sicut hominum, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est; ita & quæ
Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei, qui in Deo est* (f). Deinde, quomodo
inter creaturas Spiritum hunc audeat quis computare, de quo Dominus di-
xit (g): *qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc
seculo, neque in futuro.* Hie peccatum in Spiritum Sanctum gravius pro-
nunciari videmus omnibus reliquis peccatis in Patrem & Filium commissis:
quod fieri non posset, nisi Spiritus Sanctus persona increata foret. Quid quod
omnes creature per Verbum factæ sunt, & sine ipso factum sit nihil, quod factum
est (b); *omnia quoque creatæ Deus pedibus ejus subjicerit* (i). Spiritus autem
Dei neque factus est per Filium Dei, neque nunc pedibus Filii hominis sub-
jacet. Ipsius potius operatione Christus in utero virginis conceptus est (k). Quod
opus

(z) i Cor. II, 10. (a) i Cor. XII, II. (b) Actor. XIX, 10. (c) Act. XIII, 20. (d) Joh. XIV.
26. XV, 26, 27. XVI, 7, 8. 13, 54. (e) de Arianis testatur Epiphanius Her. 69. de Macedo-
nianis Augustinus Her. 52. (f) i. Cor. II, II. (g) Matth. XXII, 31. 32. Conf. Ambro-
sium de Spir. Sanct. L. I. c. 3. (b) Joh. I, 3. (i) i. Cor. XV, 23. (k) Luc. I, 34.

opus profecto non creaturæ sed Creatoris est. Atque hinc necessario fluit, Spiritum Sanctum vere ac proprie DEUM esse. Si enim Persona est Spiritus Sanctus, & quidem persona non creata, necessario agnoscendus est pro *vero* Deo, cum nulla sit essentia increata, præter essentiam unius æterni Dei. Sed quid consequentiis opus est, in re, cuius evidentia in Verbo Dei extant testimonia. De Mose legimus (*i*), *quod ingressus ad Dominum, ablato a facie sua velamine, locutus sit cum eo.* Dominus autem ille, cum quo Moses loquebatur, erat unus ille *Jehova*, cœli ac terræ Dominus. Sed Spiritum Sanctum fuisse illam Dominum, nos docuit Apostolus dicens (*k*): *Usque in hodiernum diem, cum legitur Moses, velamen positum est super cor eorum; cum autem conversi fuerint ad Dominum, auferetur velamen: Dominus vero SPIRITUS ille est.* Ita cum Petrus dixisset Ananias: *Cur tentavit Satanás cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto*, mox subjecit: *non es mentitus hominibus, sed DEO* (*l*). Spiritus Sanctus ergo verus DEUS est, cui Ananas fuit mentitus. Et cur illam personam, cuius inhabitatio templum Dei efficit, DEUM inficiari vellemus? cum nullius personæ creatæ inhabitatio templi constituere possit. Ast inhabitationem Spiritus S. templum efficere nos, iterum docet Apostolus (*m*): *An nescitis, inquiens, membra vestra templo esse Spiritus Sancti, qui in vobis est.* Mittimus nunc argumenta pro Deitate Spiritus Sancti ab *Attributis & Operibus Divinis* deprompta. Scripturæ, in quibus utraque Spiritui Sancto attribuuntur, adeo sunt notæ, ut eas adducere supervacaneum censeamus. Interim scire debemus, Spiritum Dei, qui est verus ac vivus Deus, neque Deum Patrem esse, neque Filium Dei, ut hæresis antiqua satis, a Sabellio denominata, sed ipso Sabellio antiquior, volebat (*n*). Qui enim a Patre ab æterno procedit, & ab eodem missus est in tempore, Pater ipse non est, cum fieri non possit, ut Persona quædam a semetipsa procedat & mittatur. At *Spiritus Sanctus a Patre procedit, & Filius ipsum misit a Patre* (*o*). Non igitur Pater est. Neque Spiritus Sanctus est Filius. Is enim accepit de iis, quæ sunt Filii, atque hoc ipso Filium clarificavit (*p*). Jam vero nulla persona dici potest accipere a se ipsa, quæ sibi sunt propria, atque ea accipiendo seipsum clarificare. Quid quod adventus Spiritus Sancti dependeat ab abitu Filii, & missio ejus ab hujus discessu, ut Christus discipulos sub abitu suum docuit: *Expedite vobis, ut ego vadam.* Si enim non abiero, Paracletus non venit ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos (*q*). Sane dum Apostolus scribit (*r*), nos per Filium habere accessum in uno Spiritu ad Patrem, hoc ipso nobis confirmat, Spiritum, in quo habemus, non esse Patrem ad quem, neque Filium per quem habemus accessum. Et quid di-

(*i*) Exod. XXXIV, 34. (*k*) 2 Cor. III, 15. 16. 17. (*l*) Act. V, 3. 4. (*m*) 1 Cor. VI, 19.

(*n*) Præxæ nempe illa fuit, adversus quem Tertullianus scripsit. Post Præxæm Noctus sequebatur, de quo Augustinus Hær. 36. Mox a Nocte Sabellius exurgebat, de quo Epiphanius Hær. 62. (*o*) Job. XV, 16. (*p*) Joh. XVI, 14. 15. (*q*) Ib. v. 7. (*r*) Eph. II, 18.

cetero poterant Sabelliani ad illustrem illam *Geo^ρανείαν* prope Jordanis flumen, in qua Spiritus Dei, descendens sicut columba, manifeste distinguebatur a Persona Filii, in quem descendebat, nec non a persona Patris, de cœlo ad Filium dicentis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (s). Hic Spiritus a Patre Filioque procedit. Quod respectu Patris disertis verbis in Scripturis traditur, & Filii intuitu virtualiter ibidem habetur. Et hoc non modo Patres Latini, sed & Græci antiquissimi, pressius phrasim ac scripturam stylo inherentes agnoscebant, cum dicerent, *ipsum accipere a Filio* (t). Quorum verborum interpretatio apud Latinos processionem infert. Iisdem Græci Spiritum Sanctum non tantum cum Christo *Spiritum Patris* (u) sed & cum Apostolis *Spiritum Filii* (v), *Spiritum Christi* (x), *Spiritum Iesu Christi* (y), vocant. Si igitur hic Spiritus dicitur *Spiritus Patris*, quia a Patre procedit, irrefragabili consequentia sequitur, ipsum etiam, cum non minus dicitur *Spiritus Filii*, a Filio procedere. Adhæc, idem Spiritus, qui mittitur a Patre, non dissimilans Græcis, missus quoque est a Filio, prout ipse dicit, *cum Paracletus venerit, quem ego mittam vobis* (z). Jam vero missio in divinis est manifestatio originis. *Solus Pater*, inquit Augustinus (a), non legitur missus, quia solus non habet auctorem, a quo genitus sit, vel a quo procedat. Hæc de *Natura Spiritus Sancti*, ratione cuius SPIRITUS appellatur. Officium, quo ipse, respectu personarum reliquarum duarum Patris & Filii, potissimum fungitur, in *Sanctificatione* consistit. Unde Spiritus SANCTUS, vel Spiritus SANCTIFICATIONIS dicitur. Hæc Sanctificatio impunitati & corruptioni nostræ opponitur, & prorsus latitudini ejus respondet, ita ut quicquid hujus sanctimonie in natura nostra, imagine divina destituta, deest, id omne per Spiritum Dei supplendum sit. Partes proinde hujus Officii præcipuae sunt *Illuminatio, Regeneratio & Renovatio, Vite Christianæ Directio, Nostrum cum Christo unio, Adoptionis in Filios Dei assignatio, Doctorum Ecclesie Constitutio*. Per hæc atque his similia media Spiritus Dei Homines sanctificantur: iisque Dona sua dispensant, & primo quidem, cum per naturam omnis veritatis salvificæ expertes sumus, nec ullo modo voluntatem Dei cognoscere queamus, hic Spiritus Dei, qui omnia scrutatur, etiam τὰ βόην τῆς θεοῦ, eadem hominibus revelat, ut hac ratione tenebræ intellectus dispellantur, ipsique agnitione Dei illuminentur. Opus hoc Dei duplex est, vel *externum* sive *generale* respectu totius Ecclesia, cui omnibus seculis tantum de voluntate divina revelatum est, quantum sufficere potuit hominibus, ad vitam æternam instruendis: atque sic factum est, ut *omnis scriptura divinitus*, i. e. movente atque operante Spiritu Sancto, sit inspirata (b); vel *internum*

five

(s) Mathe. III, 16. (t) Joh. XVI, 15. *Hinc Epiphanius Hæref. LXII §. 4. LXIX. §. 52.*
Spiritum Sanctum vocat πνεύμα τὸ Πνεύμα ἐκπρεπέμενον καὶ τὸ νέον λαυτάνον.

(u) Joh. XV, 26. (v) Gal. IV, 8. (x) Rom. IX, 9. 1 Petr. I, 11. (y) Phil. I, 19.

(z) Job. XV, 26. (a) Tom. VI. contra Sermon. Arian. cap. IV. (b) 2 Tim. III, 16.

sive particulare, quo idem Spiritus intellectum singulorum credentium illuminat, ut veritatem recipere possint. *Fides enim Dei donum est* (c); nec tantum CHRISTUS nobis datus est, in quem credimus, sed & donatum nobis est, ut pro ipso patiamur (d). Deinde cum naturalis nostra corruptio consistat in aversione voluntatis, ac depravatione affectuum, inclinatio corundem ad voluntatem Dei in nobis efficitur per Spiritum Dei, adeo ut, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non posset ingredi in regnum cælorum (e). Unde etiam Baptismus vocatur lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti (f). Porro si vivimus Spiritu, vivificati scilicet per ejus regenerationem ac renovationem, Spiritu etiam ambulamus, sequentes ductum ipsius atque impulsum. Quod si autem Spiritu ambulamus, desideria carnis hanc perficiemus (g). Non tantum enim in his actionibus a Spiritu Dei dirigimur, sed & animamur, agimur, atque impellimur, quippe qui & velle nobis dat & perficere (h). Ac ut haec manuductiones eo sint efficaciores, idem quoque Spiritus nos dirigit in precationibus nostris. Nos enim, quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: qui autem scrutatur corda scit, quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro Sanctis (i). Atque ab hac officii parte speciatim ipsi tribuitur nomen Paracleti, quod Christus ei dedit (k). Ab hoc Spiritu etiam dependet Unio nostri cum Christo. In uno enim Spiritu omnes nos in unum corpus baptizatis sumus: & sicut corpus unum est, sed membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt; ita & Christus (l). Et ex hoc Spiritu, quem dedit nobis, scimus, quod DEUS maneat in nobis (m). Ut ergo Spirituales efficiuntur per Spiritum, qui in nobis est, & ut unio illa cum Capite Christo est conjunctio Spiritualis; ita procul dubio a Spiritu procedit, ut qui adhaeret Domino, unus cum ipso sit Spiritus (n). Idem Spiritus certiores nos facit de Adoptione in Filios Dei, atque sensum nobis ingenerat paterni in nos amoris DEI, & pignus hereditatis æternæ exhibet. Accumulemus hic dicta, quæ Paulus diversis Scripturæ locis suggerit (o) in unum: Charitatem nempe Dei, i. e. qua Deus nos complectitur, diffusam esse dicit in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei. Quoniam autem sumus Filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem: Abba Pater. Unde non accepisse dicimur Spiritum servitutis iterum in timore (ut Fideles in V.T.) sed Spiritum adoptionis Filiorum Dei, in quo clamemus: Abba Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod SUMUS FILII DEI. Cum autem sumus Filii, sumus & Heredes; heredes quidem Dei,

(c) Joh. VI, 29. (d) Phil. I, 29. (e) Joh. III, 5. (f) Tit. III, 5. (g) Gal. V, 15, 16.

(h) Phil. II, 13. (i) Rom. II, 26, 27. (k) Joh. XIV, 16. Conf. i Joh. II, 1. (l)

i Cor. XII, 12. (m) i Joh. III, 24. (n) i Cor. VI, 17. (o) Rom. V, 5. IX, 8, 13, 14,

16. Gal. IV, 6.

Dei, coheredes autem Christi. Cujus hereditatis nostrae habemus pignus eundem Spiritum. Qui enim confirmat nos in Christum, & qui unxit nos, Deus est, & qui signavit nos, & dedit arrhabonem Spiritus in cordibus nostris: Ut adeo signari sumus Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostra in redemissionem acquisitionis (p). Denique ut hos & alios hujusmodi Effectus & Dona Spiritualia fortiamur, Spiritus Sanctus certos quosdam separat Homines ad functiones ministerii, ac constituit eos inter Deum & populum, ut alios doctrinam Evangelii doceant, Sacraenta a Christo instituta administrent, preces pro iis ad Deum fundant, benedictionem iisdem insperiant, potestatem hanc ad ministros successores per impositionem manum derivent, omnia agant ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in edificationem corporis Christi (q), qui & properebant jubentur attendere sibi & universo gregi, in quo ipsos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei (r). Haec de Spiritu Sancti Natura & Officio edocet nos oportet non tantum agnoscere personae ipsius eminentiam, sed & desiderare charismatum ejus excellentiam sive donorum abundantiam. Nempe quod olim Corinthiis optabat Apostolus (s), id quivis Christianus serio in votis habere debet, ut *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & Charitas Dei, & Communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus nobis!* Sane si Spiritum Christi non habemus, qui unionem cum Christo efficit, eidem uniti esse nequimus (t). Porro si nemo potest JESUM dicere Dominum, nisi in Spiritu Sancto (u), summa est horum felicitas, qui ipsum possident, extrema vicissim istorum infelicitas, qui ipso carent. Maxime vero studere debemus Sanctificationi nostre. Quod si enim Deus elegit nos ab initio in obedientiam, & salutem in sanctificatione Spiritus (x), nemo non intelligit, quam nobis incutiat pacem sequi cum omnibus & fratimoniam, sine qua nemo videbit Deum (y); quam nobis hoc enitendum sit, ut mundemus nos ab omni inquitamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei (z). Templum quippe sanctum est, quod sumus nos, si Spiritus Dei habitat in nobis (a), cuius templum est corpus nostrum (b). Quod cum sciamus, utique etiam nostrum est, ut glorificemus Deum in corpore nostro, & in Spiritu nostro (c). Ita futurum est, ut Spiritum Sanctum in nobis a Deo habentes, confortemur in omnibus infirmitatibus nostris, in imbecillitatibus sustentemur, in tristitia etigamur, in mediis miseriis pace atque gaudio interno impleamur. Et haec sunt flumina illa aquarum vivarum, de ventre ejus, qui credit, fluentia. Ita enim Christus sit (d): *Si quis sis, venias ad me & bibas.* Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aqua viue. Hoc autem dixit de SPIRITU, quem accepturi erant credentes in ipsum. Unde Spiritus Sanctus toties in Scriptura V. & N. T. dicitur effundi (e), & nos ipso dicimur baptisari (f); ab Esaias vero (g) FONS SALUTIS appellatur. De quo argumento latius cum ex umbone sacro ad Paulinum, hac ipsa Pentecostali Festivitate, post horam XII. meridianam, oratione docta sit disserturus Vir Juvenis Eximius atque Praestantissimus Dn. M. CHRISTIANUS FRIDERICUS WILISCH, Liebstadio-Misnicus, in Philologiae Sacrae & Theologie Studio egregie versatus, nos filium Programmati hujus abrumpimus, UTRIUSQUE REIPUBLICÆ PROCERES, una cum Civibus Academiae reliquis ea, qua par est, observantia & humanitate rogantes, ut non tam Oratori Nostro gratiam & benevolentiam, quam ipsimet SPIRITU SANCTO, puro isti aqua viue fluviō, splendido tanquam crystallum, de threno DEI & Agni æterna emanatione procedenti (b) cultum religiosum probare studeant. P. P. in Feste Pentecostali

Anno Salutis 1518.

(p) Rom. II, 17. 2 Cor. I, 12. Eph. I, 14. (q) Eph. IV, 12. (r) Acto. XX, 18. (s) 2 Cor. XIII, 14. (t) Rom. II, 9. (u) 1 Cor. XIII, 14. (x) 1 Thess. IV, 3. 2 Thess. II, 13. 1 Pet. I, 2. (y) Heb. XII, 14. (z) 2 Cor. XII, 1. (a) 1 Cor. III, 16. (b) 1 Cor. VI, 19. (c) Ibid. v. 20. (d) Joh. VII, 38. (e) Joel. II, 28. Acto. II, 17. 33. (f) Act. I, 5. Matth. III, 11. Marc. I, 8. Luc. III, 16. Joh. I, 26. (g) Cap. XII, 3. (b) Apoc. XXII, 1.

Typis CHRISTOPHORI FLEISHERI.